

Petrus de Vinea

*Ep. VI 26 (Principium epistulae.
Fridericus duci Austriae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 26 (Principium epistulae.
Fridericus duci Austriae...)*

1245

Priuilegium concessum duci Austriae, super promotione sua de duce in regem.

1. Principium epistulae. Fridericus duci Austriae et Stiriae, suo dilecto principi et comiti Carniolae, gratiam suam et omne bonum. 2. De fulgore throni Cesarei, uelut ex sole radii, sic ceterae prodeunt dignitates, ut primae lucis integritas minorati luminis non sentiat detrimenta, tantoque magis imperiale sceptrum extollitur, et tanto cura regiminis plurium a sollicitudinibus releuatur, quanto tribunal ipsius digniores in circuitu circumspicit consimiles regiones. 3. Hac itaque consideratione commoniti, qui celesti prouidentia Romani Imperii moderamur habenas, solii nostri decus tam ueterum dignitatum ornatibus confouemus, quam nouis honoribus ampliamus. 4. Tuis igitur, deuotissime princeps noster, supplicationibus fauorabiliter inclinati, nec minus ad exaltationem sacri Imperii nostri honoris respectum habentes, de infra scriptorum principum nostrorum consilio, uidelicet S. Ratisponensis episcopi imperialis aulae cancellarii, R. Pataviensis episcopi, C. Frisiensis episcopi, L. Warmatiensis episcopi, H. Bambergensis electi, F. abbatis Campidonensis et abbatis Eluacensis, O. ducis Morauiae et B. ducis Reatiae, ducatus Austriae et Stiriae cum pertinentiis suis et terminis, quos hactenus habuerunt, ad nomen et omen regium transferentes, te hactenus predictorum ducatum ducem, de potestatis nostrae plenitudine et magnificentia principali promouemus in regem, eis libertatibus et iuribus predictum regnum tuum presentis epigrammatis auctoritate dotantes, quae regiam deceant maiestatem uel dignitatem. 5. Vt tamen ex honore, quem tibi libenter addicimus, nichil honori uel iuri nostri diadematis aut

Imperii subtrahatur: quin immo, sicut hactenus tamquam dux princeps et fidelis noster extiteras, sic in posterum regio decoratus honore, tu et successores tui, legitimi principes, fideles et deuoti nobis et successoribus nostris in Imperio perpetuo persistatis; 6. nichilque propterea iuri et honori Imperii in predictis regno et terris tuis omnino depereat uel decrescat, eorum, quae hactenus habuit in eisdem, eo specialiter et nominatim expresso, quod successores tui non per electionem prelatorum, ducum, comitum aut quorumlibet nobilium eligantur in regem, sed semper maior seu senior de generatione tua, ex te et ex successoribus tuis legitime descendentes, in regno succedat, nullusque ex eis coronam aut consecrationem in predicto regno tuo manu cuiusquam accipiat, sed a nobis et successoribus nostris tantum in curia nostra, uel ab hiis, qui speciale mandatum a nobis super hoc habeant, coronationis munus et decus pro tempore in posterum consequentur. 7. Alii uero minores heredes natu non habeant aliud, nisi quod ex regis gratia poterunt obtinere. 8. Illud etiam iuri regio et honori coniungimus, ut, si aliquis comes, nobilis aut ministerialis uel miles de regno tuo contra te aut successores tuos et terram tuam forsitan excesserit, et pro suo excessu castrum uel munitiones suas ab excedente ea per te aut per nuntios tuos peti contigerit, ipseque negauerit assignare, ipsum ex iure regiae dignitatis per sententiam tuam curiae tuae bannire et foriudicare ualeas, ipsumque extra legem facere, omnis iuris suffragio, prout est moris Imperii, carcerari. 9. Ceterum ut pacem et iustitiam, quae sunt regnorum omnium fundamenta, possis in predicto regno tuo constantius confouere, presentium tibi auctoritate concedimus, ut, si quis in predicto regno tuo manifestus extiterit malefactor,

tuo uidelicet aut curiae tuae iusto iudicio condempnetur.

10. Cumque aliquis de predicto regno tuo tenuerit, fouerit uel defenderit, et requisitus eundem tuo iudicio noluerit assignare, eadem pena puniri debeat receptator, eademque defensor, qua malefactor ipse puniri deberet.

11. Ad decus preterea regni tui presentis priuilegi auctoritate permittimus, ut de prouincia Carniolae et ducatus facias immediate tibi, et per te nobis et successoribus nostris et Imperio, responderi, et in ducatu ipso ... cognatum tuum, fidelem nostrum, in ducem ualeas promovere, plenam tibi concedimus potestatem.

12. Ad cuius rei memoriam et robur perpetuo ualiturum, presens priuilegium fieri et bulla nostra aurea typario nostrae maiestatis impressa iussimus communiri.

13. Datum annum Domini millesimo ducentesimo, et cetera, indictione duodecima, et cetera.